

## LETTRE XXIII.

---

MEDICORUM LONGÈ PRINCIPI,

DD. FRANCISCO DE SAUVAGES,

*Amico æternùm colendo.*

S. pl. D.

CAR. LINNÆUS.

Mihi in hâc vitâ nihil gratius accidit quàm tuas, amice colendissime, exoculari litteras, è quibus semper doctior evado. Tu semper plura doces, plura observas accuratè, quàm quisquam amicorum alius. Accepi heri Tuas, onustas ingenti observationum novarum thesauro. Perpensi et examinavi omnia; errores meos mox correxi, ut si aliquandò alia prodeat editio, limatior longè evadat. Tu candidè et amicè doces omnia, uti Hallerus semper fulmina terit; tamen parùm contribuit ad artem meam.